

B. 25.



EXEQVIAS
VIRI
EXCELLENTISSIMI AC RERVM DIVINARVM HVMA-
NVMQVE SCIENTIA ORNATISSIMI

IOANNIS SAMVELIS
STRYCKII IC.

SERENISSIMAE ISENACENSIS VIDVAE PRINCIPIS AB
AVLICIS CONSILIIIS

IVRIVM PROFESSORIS ORDINARIJ
COLLEGAE NOBIS CONIVNCTISSIMI

XVI IVNII POST MERIDIEM

CIVIBVS ACADEMIAE

INDICIT

ACADEMIAE PRO-RECTOR

IOANNES SPERLETTE

SERENISS. BORVSSIAE REGIS CONSILIAR. COLONIAE GALLICAE
DIRECTOR ITEMQVE PHILOSOPHIAE PRACTICAE PROFESSOR
ORDINARIVS.

LITTERIS HENCKELIANIS.



Uis est iustus? Qui legem Dei animo impressam & insculptam seruat, & totum animum facile imperio continet. Et tum vero ratio non modo clare cernit, quid in vita sequendum sit; verum etiam voluntas veræ dulcedinis suauitate illecta rationi paret, ei adfurgit, eam sequitur, nec vnquam a cælestium rerum contemplatione deducta in terram deprimitur. Sed quis est in his terris, qui ita rerum diuinarum atque humanarum scientiam in succum & sanguinem conuertat, eaque ratione pectori infixam gestet, vt in hac sententia diu permaneat, & vitæ rectæ constantia cognitioni acquiratæ respondeat? qui non sese singulis horis iniustitiæ accuset, & alicuius insipientiæ se condemnet ipsemet? Igitur in eam fere opinionem deuenire aliquis posset, desperandum esse de veræ iustitiæ laude, ac, quæ independent, genuinæ sapientiæ ornamentis. Saltem dubitari posset, ad quos eundum? quorum limina frequentanda? quorum sectanda doctrina? Ad Philosophos inclamant multi, ad Iureconsultos inquirunt alii. At veremur valde, ne, etsi vehementer clamant, & magno conatu varia consulunt, aerem pullent vniuersi, ac mente ægros medicorum interea turba pesumdet. Aliqui enim ingenue confitentur, omnem de iustitia veritatem esse penitus abditam inque profundo latentem, nonnulli vero, cum vrgentur, negant, se iustum ac sapientem vidisse vnquam & vsquam: quidquid de eo dicunt, eorum oratione concluditur; &, cum verbis iustitiæ muna depingunt, verba Stoicorum more dant, ac

VO-

voce duntaxat suauiter fonante delectantur. Iure-
consulti contra præcipiunt honeste viuendum, su-
um cuique decernunt tribuendum, neminem aiunt
lædendum. Bene profecto, dummodo ne hi in vita
fluctuant, & consilio destituti cupiditate & affe-
ctu ducerentur. Igitur solus Deus restat, qui natu-
ra iustus ac sapiens veros efficere iustitiæ sacerdo-
tes potest. Huic se in disciplinam tradant necesse
est, qui altissimum iustitiæ atque sapientiæ gradum
adtingere gestiunt, eique recta ac salutaria monen-
ti credant, eiusque præceptis sine vlla recusatione
pareant. BEATVS, inquit ille, QVEM TV ERVDIERIS
DOMINE, ET DE LEGE TVA DOCVERIS EVM. Atque sic
vero beatus est itidemque fuit Vir eruditionis laude
excellentissimus IOANNES SAMVEL STRY-
CKIUS, I. C. Serenissimæ Isenacensis PRINCIPIS
viduæ a Consiliis aulicis, Iurium Professor ordina-
rius, Collega nobis coniunctissimus, quem hodie
inter AMICORVM lacrymas, CONIVGIS lectissimæ
planctus, & ACADEMIÆ nostræ gemitus tumulo ma-
gni Parentis inferimus, ac inferendum publice si-
gnificamus. MAGNVM PARENTEM haud temere no-
minamus illustrem VIRVM SAMVELEM STRYCKIUM,
I. C. Serenissimi ac potentissimi Borussiæ REGIS
Consiliarium intimum, Facultatis Iuridicæ Ordina-
rium, Professore diuini humanique iuris in Fride-
riciana toto orbe celeberrimum, VIRVM in tantum
laudandum, quantum virtus, eruditio ac sapientia
intelligi potest. Hic Eum cum ANNA SABINA BRVN-
NEMANNIANA Viri nostro præconio maioris IOANNIS
BRVNNEMANNI præstantissima FILIA genuit, ac Fran-
cofurti ad Viadrum IV. Idus Martias CIO ID CLXVIII.
in lucem editum ad summa & immortalia educari

ofsa

B

cu.

curauit. Non est res exigua, ita formare filium, ut a stirpis suæ bono non degeneret, sed ad veterem eius pulcritudinem plurimum dignitatis ac decoris adii-
ciat. Quod ut adsequeretur, post MATRIS matu-
rum obitum, PARENS optimus, acerrimis IOANNEM
SAMVELEM Præceptoribus commisit, ut a radicibus,
quasi germen, ortus virtutis suæ ramos longe ali-
quando lateq; diffunderet. Prodebat enim sese satis
mature ingenium nobile, incredibilis morum sua-
uitas, eloquendi vis haud vulgaris, ut augurarentur
omnes, futurum filium patri simillimum, auo pro-
bitate parem, & admirabili doctrinæ laude utriusque
æqualem. Quare factum est, ut vix ex ephebis ex-
cedens in Gedanense Gymnasium a CIO IO CLXXXIV.
ablegaretur, ut duce amitino suo Viro amplissimo
IOACHIMO HOPPIO Professore ac Lycei inspectore
tum temporis grauissimo ad omnem virtutis ac sci-
entiæ gloriam effloresceret. Et hic Eum in elegan-
tioribus litteris IOANNI PETRO TITIO poliendum de-
dit; in seueriori autem philosophiæ studio FRI-
DERICO CHRISTIANO BVCHERO, ut sic probe instru-
ctus præparatusque Iurisprudentiæ amplissimam
disciplinam cupide amplexaretur. Dicitur vix potest,
quanta is alacritate in certamen descenderit, quan-
toque ardore publicis velitationibus interfuerit, ubi
institutionum auctoritas umbratili bello in discrimen adduci videbatur. Id ad posteritatem magis
memoratu dignum, EVM DE VITA AC LAVDE IUSTINI-
ANI SACRATISSIMI IMPERATORIS tanta verborum ele-
gantia perorasse, ut dubium esset, magis ne mirarentur
auditores rectam dicendi rationem, an vocem
canoram ac totius corporis compositos gestus ad-
tusque? Igitur biennio sic laudabiliter Gedani ex-
acto

acto a. CIO IOC LXXXVI. in almam Leucoream concessit, vt ibi linguarum & historiae solidiori cognitioni operam daret; cum sine his subsidiis in iurisprudentiae latifundiis fat magni vix expectentur prouentus. Qua in re priuatim quidem M. IOANNIS GEORGII ROESERT, qui deinde apud Stetinenfes Rectoris munere perfungebatur, priuata institutione vsus est, subque eius vmbone DE STATVIS PRINCIPVM cathedrariam disceptationem subiuit; quam altera de AVRO OBRYZO ET ARGENTO PVSVLATO excepit GEORGIO GASPARE KIRCHMAIERO praesidis partes non sine animi quadam recreatione tuente; quod omnes Iuueni ad maiora tendenti verbis factisque applaudent. Neque vero, cum a nobis memorata perageret, iurisprudentiam neglexit. Iuit is ad IOANNIS HEINRICI BERGERI, qui tum eniuit, scholas, eumque instituta solide interpretantem ita aude audiuit, vt nullus, post tot verborum sententiarumque lumina, vmbri locus esset. Quae omnia ita euenerunt opportune, vt dein ad Patriam Academiam a. CIO IOC LXXXVIII. redeunti vniuersa apparerent facilia: in primis cum PATRIS facundo ore doceretur & ad ius ciuile cognoscendum laborem atque industriam ipsemet adferret insignem. Vnum praeteriri non debet, non sic fuisse PARENTEM opiniosum, vt solus perficere filii eruditionem cogitaret. Vix enim hic Francofurti appulerat, cum iam de PHILOSOPHIA PRINCIPVM sub IOANNIS SCHVLZII ductu gloriose disputaret, & lectiones reliquorum Professorum, cum primis autem SCHVLZII acroases diligenti studio frequentaret: GENITORE velut e specula acerrimi iuuenis conatus circumspiciente, & quod ad secretiora artis pertinet, suppe-

ditante. Qui ordo discendi docendique quam fuerit salutaris paullo post apparuit. Nam cum Serenissimus Saxoniae ELECTOR e Francofurtana illustrem STRYCKIVM ad Wittebergensem Academiam euocasset, omnesque ab eruditione Viri celebratissimi summa exspectarent, ecce FILIVS primus sub eo DE DISSENSV SPONSALITIO in arenam descendit, & quantum doctrina, ingenii celeritate, dicendique facultate valeret, publice, magna Auditorum copia confluyente, & Professorum corona cathedram ambiente, non sine laudis quadam accessione ostendit. Quo egregio specimine edito in numerum CANDIDATORVM facile est receptus, postquam tantos profectus non solum Iureconsulti Wittebergenses animaduertissent ipsimet, sed more consueto etiam denuo explorantes paterni auitique ingenii opes in ADOLESCENTE inuenissent sane luculentas. Sed placuit tamen PARENTI, vt antequam summos in iure honores adipisceretur, ad peregrinas oras abiret, & Belgicorum cum maxime Iureconsultorum scholas lustraret, flexoque per Rhenum cursu ad Danubium diuertens Ratisbonam intraret, vbi non tam ciuium, quam gentium Senatus gliscentem de IX. Electoratu controuersiam seruidissime agitabat. Quocirca ibi paulisper substitit, donec Leucorea lumen CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS adueniret, quo cum Alpes transcenderet, & quidquid in Italia antiquum, quidquid Romae magnificum, quidquid Florentiae aliisque in locis exquisitum, coram spectaret, spectataque, hoc polyhistorum interprete, accuratius intelligeret. Id mirum accidit, vt, etsi Magnus Hetruriae Dux a Principatus sui sede aberat; tamen NOSTER illum vetustissimum orbis thesaurum, hoc est, Pandectarum Codicem, qui inter aurea atque argentea vasa adseruatur, oculis suis vsurparet, multaque notatu digna in loculos suos referret. Inde Romam descendit, vbi per aliquot mensium spatium commoratus cum Viris eruditissimis de rebus variis ad omnem liberalem doctrinam pertinentibus vtilissimos sermones miscuit: donec per Appenninum iterum ascendens oram Longobardiae legeret, & Mediolanensis ciuitatis amoenitate, ac, quae ibi inueniuntur, antiquitatum elegantiam captus, aliquas ibidem hebdomadas extraheret. Mediolano abiens Ianuam opulenta florentem atque aedificiis superbientem inui-

inuifit, ac fenfim per Alpes Heluetiosque in Germaniam regres-
fus Bafileenſes Muſas in tranſcurſu ſalutauit: quarum peculiarem
fauorem ob id in primis celebrauit, quod Iureconſultorum ordinis be-
nigno indultu ſibi fuerit facultas diſputandi data de BONA FIDE IN PRÆ-
SCRIPTIONE ACTIONVM NECESSARIA: idque, quod eſt ſingulare, ſine
præſidis auxilio. Abhinc Ratiſbonam remeans Legatis Electorum
Principumque imperii excellentiſſimis innotuit, iterque ad CÆSARIS
aulam parans ita omnia diſpoſuit, vt per Aulæ Bohemiæque fi-
nes in patriam optimarum rerum cognitione onuſtus rediret. Sed
mutauit conſilium corporis infirmitate morboque præpeditus, ac
Ratiſbona ſoluens ſine circuitione ad patrios lares reuertit. Fa-
cile eſt ad conſpiciendum, quanta cum lætitiâ, quantaque cum a-
moris teſtificatione PATER benigniſſimus receperit FILIUM vni-
genam tot gloriæ atque eruditionis inſignibus amiſtum. Et hæc
vero id tandem effecerunt, vt ſereniſſimus ac potentiſſimus
ELECTOR BRANDENBURGICVS, Dominus noſter longe indul-
gentiſſimus eum Profefſorem Iuris extra ordinem ſignaret, cum-
que PATRE in noſtram Fridericianam glorioſe tranſlatum vari-
is ſenſim honoribus augetet. Cui Sparta vt proliſus ſe accom-
modum redderet, Licentiati, quem vocant, priuilegia, vt mo-
ris eſt, petiit, ac, publica diſputatione ſub patris tutamine de
NULLITATE MATRIMONII in vulgus emiſſa, ita ſtetit, vt vni-
uerſi agnoſcerent, quid magiſtrorum exquisitiſſimorum præce-
pta, quid domeſticæ exercitationes, quid bona indoles, quid
denique diligentia fertilitati ingenii adiecta præſtare poſſint. Quo
facto, gratulante populo Mutiſque concinentibus, in noſtram
cum Iureconſulto Germaniæ maximo Academiam ſeſe contu-
lit: vbi tandem ipſo ſcholæ nouæ Natali, hoc eſt, Kalendis
Iulii MDCCXCIV. Doctōris lauream accepit. Notatu cum
maxime dignus eſt, quem indicauimus, annus. Eo ipſo enim ad
nuptias animum appulit, ac Patris voluntate nobiliſſimam mul-
tiſque virtutum dotibus cumulatiſſimam feminam MARIAM CA-
THARINAM ALEXANDRAM GASPARIS ALEXANDRI ſereniſ-
ſimi Brunſuiceniſis ac Luneburgeniſis Ducis Cancellarii vicarii,
itemque Conſilarii aulici & ad imperii conuentum Legati ſplē-
didiffimi FILIAM, variis nominibus commendatiſſimam ipſiſ
Idibus Februarii ſolenni cærimonia domum duxit. Cum hac
dulciſſima læſti ſOCIA vtut ſine liberorum ſtirpe; tamen ſua-
uiter ſummaque concordia ſeptem annis vitam vixit; nec, quod
de Socino ICRO in contrarijū adfirmant, aliquid vnquam de
conſuetâ diligentia remiſit. Vnde etiam factum, vt eodem anno
SERENISSIMI peculiari indulgentia Profefſor Iuris ordinarius de-
cla-

clararetur, quo sic sponte currens ad altiora quotidie, præmis alle-
ctus, contenderet. Mortua prima VXORE tantum abest, vt ad secundas
nuptias præcipiti consilio ruerit: potius is septem itidem annis viduum
torum caste seruauit; donec amoris pudicissimi igniculis vltulatus
spectatissimam virginem ELEONORAM SOPHIAM VFFELMANNI-
AM, amplissimi Viri BURCKARDI VFFELMANNI Icti, equestris,
qui est in Ducatu Bremenſi ac Verdenſi, Ordinis Syndici longe gra-
uissimi FILIAM dignis sexu suo moribus ornatissimam appeteret, expeti-
tamque in manus, fatorum prouidentia feliciter sic dispensante, acciperet
Quam hæc fuerit sapiens mulier, quam de sui ipsius existimatione, quam
de marito bene merita familiares sciunt, nos omnes cognoscimus, pruden-
tiæ eximia monumenta loquuntur. Sed de DEFUNCTO cum facienda
verba sint, id adhuc literis memoriæque videtur mandandum, bis Eum
Pro - Rectoris difficillimo munere sapienter fuisse functum, libros per-
quam concinnasse eruditos, sæpius disputasse, ac ore disertissimo non-
nunquam, approbante omni auditorum concione, disseruisse. Quæ omnia,
etiamſi nos taceremus, nulla ætas filebit, nulla posteritas reticeſcet. At
parum tamen hæc forent singula, niſi iuſticiam, quam cordi NOSTRA-
TIS Deus infixit, per omnem vitam purissimis votis, sanctissimis preci-
bus, præclaris actionibus pro Christi gloria susceptis comprobasset. Sal-
tem Theologos plurimum reuerendos, Collegas nobis coniunctissimos
testes appellamus, qui nihil abiecte, nihil cum contumacia, nihil cum tem-
eritate, omnia fideliter, integre singula fuisse ab eo gesta vno ore ad v-
num omnes confirmabunt. Solum hoc dolemus, tam celeriter VIRVM
clarissimum vitæ huius vsura esse priuatum, tamque immature vires cor-
poris simul atque animi defecisse, vires, quas admirati fumus vniuerſi,
quas prædicant amici, quas extollent quoque, qui alias id vnum agunt, vt
nihil aliis, sibi omnia relinquunt addicantque. At ea est vitæ humanæ
conditio, adeo grauis & acerba, tot agitata incommodis, quam nemo
poterit vel explicando conſequi, vel enumerando percensere. Abiit ex
his terris eheu! IOANNES SAMVEL STRYCKIUS magnumque doctæ
atque eruditæ sanctitatis nomen IV. Idus Iunias hora post meridiem VII.
occidit, cum vix lectulo affixum intelligeremus. Nunc ille meritis SER-
VATORIS sui iustus DEum vere iuſtitiæ fontem coram intuetur, illius
splendore collucet, totamque mentem in illa summa atque præcellenti
specie habet defixam. Nos, quoad placuerit, rerum omnium Conditori,
hic manemus, Ciuesque Academiae obnixæ atque officioſe omnes ro-
gamus, vt funtus conſultiffimi VIRI frequentes hodie comitentur. Me-
retur beata ANIMA, ne virtutum, quibus eluxit, obliuſcantur, meretur
PATER illustriſis, quem FRIDERICIANA ob immortalia in ſe beneficia lau-
dibus æternis ad cælum extulit efferetque, donec terra dehiſcet at-
que æquor ardoribus exultum deſinet aliquando P.P.

Hala: Magdeburgicæ XVI Kal. Iulias

1710ccxv.



Gb 1633.

4^o


ULB Halle 3
001 611 763




20

n. c.







EXEQVIAS

VIRI

**EXCELLENTISSIMI AC RERVM DIVINARVM HVMA-
NVMQVE SCIENTIA ORNATISSIMI**

**IOANNIS SAMVELIS
STRYCKII IC.**

**SERENISSIMAE ISENACENSIS VIDVAE PRINCIPIS AB
AVLICIS CONSILIIIS**

**IVRIVM PROFESSORIS ORDINARIII
COLLEGAE NOBIS CONIVNCTISSIMI**

XVI IVNII POST MERIDIEM

CIVIBVS ACADEMIAE

INDICIT

ACADEMIAE PRO-RECTOR

IOANNES SPERLETTE

**SERENISS. BORVSSIAE REGIS CONSILIAR. COLONIAE GALLICAE
DIRECTOR ITEMQVE PHILOSOPHIAE PRACTICAE PROFESSOR
ORDINARIIVS.**

LITTERIS HENCKELIANIS.

